

Antoniu de Padilla. Postmodum anno 1600. Neapolim missus ad Capitulum Generale, ubi exculpta eruditio argumenta dedit, communibus Ordinis votis electus est, qui publicam Thomisticae Scholae causam, Romæ ab Alvaresio suscepit, cueretur. Solennium disputationum coram Clemente VIII., & Paulo V. habitarum pondus pene omne sustinuit; vix enim semel, & iterum in arenam venit Didacus Alvares. Episcopales Infulas, a Philippo III. saepius oblatas, summa animi modestia recusavit. Post solutas Congregationes Roma subtilitatem, sancte Romane, & Universali Inquisitionis Consultor: nec ullius unquam oblatæ dignitatis splendore commotus est.

Hunc sive apud summum Pontificem supplicationis patronum assumpit Academia Salmanticensis, dum statutum suum de tenenda S. Thomæ doctrina ab Apostolica Sede confirmari petuit. Qua occasione litteras ei singularis excommunicationis obfides dedit, quarto nonas Novembris 1627., ubi haec inter alia legere erat: *Jam vero, ut id facilius obtineat Academia nostra, nullum alium aptiorem, propensionemque ad bene de ipsa merendum, patronum, precatoresque invenerit, quam te, qui diligenter, eximiusque (quod sine tua molestia, Reverendissimo Pater, fiat) hoc deprecandi pro ea munus suscipiat: Quod quidem facile impetrabis, cum semper is existet, qui in publicis, privatisque disputationibus, ne non elaboratis doctissimis Scriptis, Angelici Doctoris sententias, & scripta diligentissime defenderis, qui te quasi dedita opera ad tantum culmen evexit, ut hoc tempore illius, & totius Ecclesie partes agas, & uacuis. Hanc vero Academiam tuo patrocinio confidentem, tibi in perpetuum devinxeris, que non dubitat, quin, te sauro, & adiutori, quad humiliter perit, efficaciter consequatur.*

Praenitia lessitionis desfatigatione, provectaque etate triennio ante mortem pene cœcutit; adeo ut vix sine miraculo quotidie sacrum ficeret. Obiit anno aetatis sua 84. die 23. Augulti 1629. (1) Miraculorum illustrem narrant ipsius Ordinis Annales. Optandum tamen, ut de illis temperantius egisset Hyacinthus Choquetius in Opere, cui titulus: *Visera materna &c.*, quod annis duntaxat quinque post Lemosii obitum adornavit. sed rebus aliunde veris sua pro more figura immiscendo, generarunt meruit.

Lemosium sacro nomine indigitant Theologi Salmantenses, dum post nonnulla, de Divino cum Auxiliis Congregationibus enarrata, ita subdunt: (2) *Id Rome novissime testatus est insignis quidam Theologus, qui omnibus Congregationibus a nobis recognitis attentissime interfuit, & cuncta in eis acte diligenter comisit: Quippe non solum maxima sapientia, sed egregiis virtutibus adeo floruit, ut post suum obitum plura ediderit miracula. Et ut ejus testimonium adhuc firmius, & omni exceptione majus manifestetur, rogamus. Virum istum gravissimum octo diebus ante suum obitum, & antequam in morbum, quo dilectum finivit, incidisse, ac proinde dum in Sacra Theologia, & sanitate maxime vigebat, ea, que diximus, ingenuo fassum esse. Falluntur enim, qui Franciscum Pegnam ibi a Salmanticibus indigatum sibi fingunt, & auctoritate Joannis a S. Thoma ad suum illud figmentum obtrudendum abutuntur. Scribebant quippe Salmantenses anno 1630., aut 1631., virumque appellabant, qui haec novissime testatus erat, & qui Congregationibus interfuerat: quæ duo in Lemosium apprimi cadunt; neutrum autem in Pegnam incidit, qui jam ab anno 1612. mortem obierat, nec unquam ad hujusmodi Congregationes admisus est. Ab hac etiam fabula procul abeit Joannes a S. Thoma, qui Pegnam a Salmanticibus appellatum nusquam finxit; sed quod illi auctoritate Lemosii comprobaverant, iste Clarissimi Pegna suffragio confirmavit. (3)*

Scriptus Thomas de Lemos Acta Disputationum, coram Summis Pontificibus habitarum ab anno 1602. ad annum 1606. sub hoc titulo: *Acta omnium Congregationum, & Disputationum, que coram Sanctissimis Clemente VIII., & Paulo V. Summis Pontificibus celebrata sunt in causa, & controversia illa magna de Auxiliis divina Gratiae. Quas Disputationes F. Thomas de Lemos, ex Predicatoria Familia Magister, eadem gratia adjutus, contra plures & Societate scilicet. Monet Ludovicus Bertrandus. Loth sub finem Historiarum Pelagiæ Didaci Alvares, servari Autographum apud Prædicatores Duances, unde illud ab annis circiter triginta Antverpiam asportatum audiveram. Verum Auctorum illorum novissimus Editor, Parisiis a viro fide dignissimo servari, idemque ab seme tipso visum, lesumque profiteatur; jam tum ab anno 1631. die 30. Juli a Francisco Vermelio, Ordinis Prædicatorum Professore, coram D. Rogerio publico scriba recognitum. Ut ut est, Romæ non extant nisi transumpta, quorum aliqua Notariorum fide munita sunt. Quinti duntaxat & sexti examinis Congregationes in Acta Lemosius retulit, sub ipsis scilicet Summorum Pontificum oculis celebratas; atque*

(1) Error typographi mortuus dicitur anno 1624. in Vita Synopsi, ejus operibus praefixa, & in aliis Scriptis, qui ex illa errore haerent. (2) Tract. 3. de Scien. Med. disp. 10. dub. 3. §. 2. Theoph. Rayn. Annatus. (3) Lib. 20. qu. 14. a. 6.

que illas solas, quis Disputationes habebantur, alii silentio missis, in quibus, semotis Disputatoribus, Censores, præmissa consultatione, in suffragiis ibant. Quo sit, ut datus a nobis Congregatum indiculus (quandoquidem utrasque ex Coronello publico Actuario complexi sumus) in speciem a Lemosii recensione diffideat, nulla tamen aut veritatis injuria, aut utriusque scriptoris dissonantia, sed varia duntaxat numerandi ratione.

Monet hoc loco grati animi sensus, ut stylum, ad alia properantem, parumper sistamus, & non vissimo Auctorum Lemosii Editori pro ea, qua Historiam hanc nostram tam sœpe non sine honoris significatione laudavit, humanitate gratias referamus, eumque aduersus Trevultinos (1) & Societate Scripturariorum vindicemus; qui Documenta ad Scientiarum, & bonarum Arrium Historiam (2) in singulos menses emitunt. Si quippe domitæ schole commodis plus æquo intenti, & cœcis prejudiciis occupati, de scriptoribus universis, prout odio, vel amore feruntur, pronanciant: ac suos quidem, qui in Historiam nostram aliquid publicarunt, ingentibus laudibus ferunt; nos vero, quique nobis studio conjuncti sunt, carpunt, deprimit, criminant. Pro summa itaque, quam fibi in Litteraria Republica ambitiosus arrogat, dictatura, Lemosii Acta, eorumque Editorem immitti virginis excipiunt in suis ad mensem Februarium anni 1703. Documentis; notantque nonnulla, quies nostram ab illis dissonantiam ostendunt, ut de una, eademque fideli non duos parietes, ut est in proverbio, dealbent, sed denigent; editæque cum a Lemosio, tum a nobis Auxiliorum Historia fidem, & auctoritatem imminuant. Singuli levi manu perstringam, & infictos Aristarchos, studio partium obsecratos, paucis expediam.

Prædicatores, inquit illi, ut scribit Serrus libro 2. Historiarum, in Didacum Alvaresium statim oculos coniecerant, qui causam publico nomine defendebat. Verum, mutato subinde consilio, Lemosium Alvaresio pretulerunt. Ex ipso tamen Lemosii testimonio compertum est, hunc non Prædicatorum, sed Clementis VIII. delectu Alvaresio præstatum esse. En primum objectæ dissonantia specimen, at per sumam injuriam nobis afflictum: Quippe nos lib. 2. cap. 1. Alvaresium *Cause Procuratorum* constitutum, simpliciter diximus; libro autem 1. cap. 21. Lemosium eidem in *socium datum*, innuimus non præstatum, dum causa coram delegatis Censoribus verteretur. Ceterum lib. 3. cap. 1., ubi ad sustinendum coram Pontifice Maximo solennium Disputationum onus Lemosium antepositum diximus, id non ex Prædicatorum delectu, sed ex Summi Pontificis iussu factum, & contra Præpositi Generalis votum, aperitissime declaravimus; ut plane mirari subeat, oppositum nobis tam fidenter affungi. *Præpositus Generalis*, concepissima verba sunt, (3) *Thomam de Lemos in Hispaniam reveri jussit. Parvus vir obediens, jamque parabat iter, ac, dato locati equi arrabone, vasa colligebat, cum ecce insperato eventu Pontificis iussu detentus est. Ipsius enim eruditio fama pernotus Clemens VIII. Cardinalem Millinum, in minoribus etate constitutum, a quo imminentem discessum ejus accoperat, ad Ordinis Magistrum dixit, vetans, ne Lemosium abiire sinaret, cuius in publicis disputationibus audiendi desiderio seruabat. Substitit igitur Lemosius secundum Pontificis iussu; totunque pene solennium disputationum, sub Clemente VIII., & Paulo V. habitarum, pondus sustinuit. Viden, quam bene narratio nostra cum Lemosiana conveniat?*

Pergunt Documentorum Editores: *Ex Lemosii Actis pag. 60. sat clare colligitur, idcirco Lemosium Alvaresio suffictum esse, quod is minus se Pontifici probasset in prima solenni disputatione: cum tamen, si que fides Auxiliorum Historia, primo illo congressu palmarum retulerit. En alterum æque frivolum; nihil quippe hujusmodi ex Actis Lemosii colligi potest. Notat duntaxat Vir maximus, Defensores, atque prædicatores gratia mœrere affectos ex prima illa disputatione; mœroris attamen causam silentio premit. Hanc nos indigitavimus obiter, quod is nempe, contracto mōro, interesse nequivisset: cuius fortassis absentia causa effectum est, ut videtur prorsus integrum, ac per omnia cumulatam non retulerit Alvaresius, cui tamen Notariorum, quæ descripsimus, Acta palmarum adjudicant. Sane Alvaresium in hac percelebri de Divinis Auxiliis Controversia singularem erudititionem Pontificibus approbatæ, testatur Ughellius, partium affectu vacuus, in Italia sacra. Cuius promptum, inquit ille, in divinis scientiis acumen admiratus Paulus V. Pontifex Maximus, illius libenter ad Archiepiscopalem Tranensem Cathedram sublimavit anno 1606., die 19. Martii.*

Addunt festivi Censores: Lemosius Acta sua vulgare, dum viveret, non est ausus; seu quod metueret, ne id minus probaret Pontifex; seu quod reveretur, ne, si paulo post solutas Congregationes publici juris fierent, idem periculum subiret, quod vulgate alias a sodalibus suis Vallisoletane disputationis Narrationes adierant; que ut primum lucem aspexere, publica vivorum duodecim testimoniacione falsi consi-

Serry Tom. I.

f

æ

(1) De Trevoux. (2) Mémoires pour l'Historie des Sciences, & des beaux Arts. (3) Lib. 3. cap. 1.

de sunt . . . et posse illa tuta in praesentia vulgari, creditum est. Quam fortunam adierint vulgatae anno 1594. Congressus Vallisfoletani Narrationes, dicemus libro i. cap. 20. Quocumque tamen res illa ceciderit, dilata Actorum publicationis rationem dedit Lemofius ipse in Panoplia divina Gratiae, Tom. i. Tract. 6. p. 160., quin alias pro arbitrio comminisci Censoribus liceat. Horum omnium Acta, inquit ille, apud nos habemus, sperantes, obtenta prius a Sancta Sede Apostolica licentia, nos illa aliquando in lucem posse committere. Ne ergo publicam lucem aspicerent, Lemofius in vivis agente, oblitus Pauli V. interdictum, quo ab anno 1611. vetitum est, ne de divina Gratiae auxiliis Commentationes citra Sedis Apostolicae veniam publicentur. Ante enim eruptus est vir religiosus, ac pius, quam cuiquam ea venia fieret. Jam cur id sibi sumperferit novus Editor, et si certo nefsciat, conjicio tamen. Movit fortassis Joannis Martinoni, Societatis Jesu Professoris, celebre pronunciatum in *Prefatione ad Anti-Jansenium*, quem sub auctoritate Antonini Moraines nomine publicavit. (1) Is enim partium dissidentium alteram Paulini interdicti religione solutam decernit, cum primum ab altera violatum est. Ripalda igitur, Annati, Sherlogi, Ortega, Henai, aliorumque bene plurim Molinianae Scholae Professorum, qui suas de divinis auxiliis lucubrations, nulla licet Apostolicae Sedi accepta venia, divulgant, exemplo provocatus novissimus Editor, idemque Thomisticae Scholae amans, nulla se, quominus idem ficeret, interdicti lege teneri, ex Martinoni sententia existimavit.

Serryus, (subiungunt illi post decantatam vulgarem illam ex Innocentii Decreto objectionem, quam §. 12. cumulatissime diluimus) qui Pontificem in Molinam lato Decreto sententiam tulisse dixerat in Historia, fateri demum compulsa est in Gallica Responsione ad magni momenti Quæstiones, Pontificem extream manum nusquam imposuisse. Ecce vero Historia loco (nullum enim indigant) aliter, quam in Gallica Responsione, de Pontificio Decreto statuimus? Sententiam ex Juris forma pronunciatam, cui extrema manus accesserit, non modo non appellavimus in Historia, sed *Sententie Pontificie visa non obtainere*, concepitissimi verbis declaravimus. (2) Non Bullam, non Diploma simpliciter diximus, sed *Ideam Bullæ* . . . *Meditatum Diploma* . . . *Delineatum* . . . *Adumbratum* nullies nuncupavimus §. 6. Praefationis, & lib. 4. Hist. cap. 18. 19. 20. 21. 23. 29. 30. Immo data ad Scribam Leodensem Epistola, que simul cum Historia nostra publici juris facta est, ac diu antea quam Quæstiones in eam editæ vulgarentur, hoc ipsum fueramus sponte professi, quod a nobis invitis, adversæ partis argumentis tandem extortum fabulantur. Fator, inquietabamus, (3) informe duxazat Diploma esse; eumque inique facturum, qui illud, ut ab Apostolica Sede latum, acciperet, cui nusquam ultima manus accessit, nusquam ex Juris formulis pronuigatum est.

Stant in incepto Censores, nosque cum Actorum Editore committunt. Lemofiani Autographi fortunam non satis perspectam habuit Historicus. Antwerpia ab annis triginta servatum scribit: at fallitur. Parisiis apud virum fide dignissimum servari, monet novissimus Editor. Verum falluntur ipsi, aut fallunt. Et si enim minus perspectam Autographi fortunam haberemus, dum primam Historiae Editionem adornavimus; Antwerpia tamen ab annis triginta servatum non affirmavimus; sed nihil nos ea de re præter auditum habere, cui etiam minus fideremus, inniximus. Duaco, sic enim tunc scribemus, ab annis circiter triginta Antwerpianam asportatum audio. Utus est, Rome non extant, nisi transumpta &c.

Ultimum tandem fabula actum addunt Documentorum Editores. Judicium, solutiis congregatis, ab Summo Pontifice, & Cardinalibus constitutum, contendit Serryus: . . . In eum sententiam aperièt pronuntiat Lemofius sub finem Actorum, ubi datam die 8. Januarii 1608. Epistolam legere est, qua diserte testatur, nihil ab Summo Pontifice definitum esse; illosque Apostolicae Sedi injuriam irrogare, qui secus dicent. Immo in Documentorum Editores sententiam pronuntiat Lemofius hoc ipso, ad quem provocant, Actorum fine. Quamquam enim citata Epistola significet vir eruditus, nihil a SS. D. N. definitum esse, videlicet ex forma juris, (quod & nos ubique passim fassim sumus) nihilominus Consultores Theologos ex ordine Sanctissimi Bullam definitionis ordinasse, refert. Annon porro illud ipsum est meditatum, delineatumque judicium, de quo nobis totes in Historia sermo fuit? At de his plus satis interim, ne sibi de Judicio Censorio, in Acta Lemofii lato, audaces Scripturarii blandiantur. Jam ad id, unde divertit oratio, revertamur.

Præter memorata Disputationum Acta, quatuor Thomas de Lemos reliquit Miscellaneorum Volumina, quibus bene multa ad Auxiliorum Controversiam spectantia instrumenta continentur.

De

(1) *Lege infra lib. 4. cap. 28.* (2) *Prof. §. 12.* (3) *Pag. 17.*

De Opere typis edito Leodiensi anno 1676. dictum satis in fine Paragraphi tertii. Addenda duntaxat in integrum Generalis Prædicatorum Supplicatio coram Innocentio XI., quæ illius oforum machinationes retinuit.

BEATISSIME PATER.

„Ordo Prædicatorum, ad Sanctitatis Vestra pedes humillime provolutus, exponit, quo pacto int̄ernoverit, Patres Societatis Jesu Sanctitatis Vestra, & Congregationi S. Officii libellum suppli- „cēm obtulisse, in quo gravissime conqueruntur, quod publicis typis data fuerit Theologia P. F. „Thomæ de Lemos sub titulo, *Panoplia Gratiae*, in quatuor tomos distributa, repugnancib; ut „ajunt, Decretis Pontificiis, ejusdemque sacræ Congregationis statutis; simuile supplicant, ut sibi „liberum fiat, in lucem edere Historian Congregationum, habitarum ea de re coram Summi „Pontificibus Clemente VIII., & Paulo V.

„Quapropter Dominicana Religio, quæ & sanctæ Sedi, & hujus sacræ Congregationis Decretis „haec tenet, obsequientissima fuit, magnaq; exultatione Societatem coluit, exponit, multos „in hanc diem de Divina Gratia libros prodidisse post Sedi Apostolicae interdictum, quorum pars „maxima a Societatis Scriptoribus edita est; ut Francisci Suarez, Joannis de Ripalda, Gabrieli „Henao, Francisci Annati, aliorumque multorum Scriptorum Opera, quæ in Societatis Bibliotheca „ca recentur; ne quid de aliis tum secularibus, tum aliorum Religiosorum Ordinum Auctoriis „dicamus: nullam tamen idcirco perturbationem in Ecclesia subortam esse. Quapropter nulla praefatis Patribus Societatis inest conquerendi ratio, quod in lucem prodierit Theologia P. M. F. „Thomæ de Lemos, Viri eximiae virtutis, & pietatis, atque a Summis Pontificibus, quos suarum „disputationum arbitros habuit, magna exultatione habuit; cum praefertim SS. Augustini, ac „Thomæ, strenuorum Ecclesie Catholicae propagatorum, doctrinam tueatur.

„Rogat itaque Prædicatorum Ordo Sanctitatem Vestram, ut vel Patribus Societatis silentium „imponat, vel in eos primum ejusdem Societatis, alteriusve Instituti Scriptores animadverti jubeat; „qui hoc de argomento post Apostolicae Sedi interdictum prodire.

„Supplicat insuper idem Ordo Sanctitati Vestra, ut, si Congregationum illarum Historiam edi- „finat, Acta ipsa typis mandari jubeat, quæ in Arce S. Angelii, & in Bibliothecis Barberina, & „Augustiniana cum aliis Codicibus mss. asservantur: spondetque, se omnes editionis expensas „lubentissime collaturum. “

Res ad Congregationem S. Officii transmissa est. Examinatus Lemofii liber illius abiit: permisum Camerae Apostolicae Typographo, ut illum publice divenderet: affixo ad consueta Urbis compita hoc Magistri Sacri Palatii programmata.

F. Raymundus Capiscuccus Ord. Pred., S. Palatii Apostolici Magister.

Omnibus, ad quos spectat, notum facimus, qualiter Nicolaus Angelus Tinazzius, publicus Impressor Urbis, admodum R. P. F. Thomæ de Lemos Panopliam gratia, seu de rationalis Creatura ad finem supernaturalem gratuitâ, divisa, fæci-potente ordinatione, ductu, mediis, libereque progressu Differ-“nationes Theologicas, ab Auctore in quatuor Tomos distributas, Leodiensi ex Officina Claudi Landas, Impresoris publici, anno 1676. impressas, publice Roma vendit anno 1681. In quorum fidem, bis sigillo nostro munis propria mano subscriptissimus. Rome in Palacio Apostolico, die 26. Augusti 1681. Ita est, qui supra, F. RAYMUNDUS CAPISCUCUS. Locus+sigilli.

Que judicio nupera Scriptoris inepta maleficentia elisa est, ita de Lemofii Operibus garrentis: (1) Leodienibus typis edita sunt Opera mss. F. Thomæ de Lemos, contra prædictas Constitutiones Summi Pontificis. An vero ea editio Catholicorum, an Hereticorum expensis facta sit, incertum est. Illud vero satis compertum, non esse satis purgatum a Jansenianis erroribus, nec satis exactam ad fidem Historia. Illud immo satis compertum, quisquis hac dixit, ineptum esse blateronem.

Expeditus rem totam confectam voluit novissimus Leodienus in sua Epistolari rapsodia. Lemofii Panopliam spuriam, eidemque suppositam dixit, eoque semel obtruso figmento, qua valer, nugandi audacia queritat, quo denum tempore elaboratum fuerit spissum opus? quo Auctore? Gallone, an Belga? Num ab uno, an a multis? aliasque id genus fabulas ludit, quibus ingenii levitatem

Serry Tom. I.

f ij de-

(1) Franc. Perrinus in Thes. Tholose habitis anno 1681.

demonstrat. Equis vero novum illud, & inauditum paradoxum in vulgus tanta fiducia mitti audiatur; ac non illico putet, singulare quoddam ab Auctore tandem inventum argumentum, erutumque ex iunctimo secretioris scrinii angulo instrumentum aliquod, mortalibus haec tenus inauditum, quo publica, constans, indubitate gentium omnium opinio deleri possit? Audi tamen, quid Criticum nostrum ad id obrudendum adduxerit; & nullius judicii yirum nosce.

Panopliae divinae gratiae, inquit ille, (1) quæ Lemosii nomine Leodii prodiit, non ante annum 1623. prima manus admota est, cum sub ipso Operis initio libri aliqui recenseantur, eo duntaxat anno Typis editi: Lemosius porro anno 1624. ultimum diem obiit, ut in ejus Vita Synopsi notatum est: cum itaque unius anni spatium edendo spissò operi non sufficiat Viro præsterni seniori, qui plurimam diei partem pis precibus consecraret, Panopliam ab altero elaborata fateri necessum est. Hoe nos ariete pulsat Leodiensis miles. At si novisset, Lemosium anno duntaxat 1629. obiisse, nec nisi errore Typographi annum 1624. in ejus Vita Synopsi notatum esse; eo se defulsum argumento sensisset, quo publicam omnium fidem ludere voluit. Eruditissimo quippe Viro, & in eo doctrinæ genere versatissimo, sex annorum spatium spissò Operi adornando satis fuisse, non abnuevit. Legat Vincentii Fontanae Monumenta Dominicana, Diarium Marchesii, Annū Dominicanum Thomæ Sueges, aliave, quæcunque libuerit, hujus Ordinis documenta, ac publicas tabulas, quibus Virorum illustrium notantur obitus; & suum ipse errorem exuat. Consulat, si venia detur, supremæ Inquisitionis Romanæ Commentarios, ubi Consultorum de rebus ad examen vocari vota, ut ajunt, describuntur. Thomæ de Lemos, qui eo ad ultimas vita meras officio functus est, Consultationes notatas leget ad Mensem usque Julii anni 1629. Ne vero illam Leodiensis Typographi cœspitionem a me primum observatam putet, quasi ad elundam insulsi argumenti vim sera suffugia quæferim, audiat ea de re Antoninum Mauſsolium in D. Thoma sūi Interpretē Tomo 2. dis fert. 4. de Gratia Adami. Quæſt. 3. Art. ultimo pag. 387. Obiter, inquit, adverti potest, errorem irrepuisse in Synopsi Vita Patris Lemos, initio primi Tomi affixa, ubi hujus mors ad annum 1624. referatur. Sed hic Rome, ubi insipici tabule possunt, quibus mortuales Religiosorum dies inscribuntur, reperi, extremum diem clausisse anno 1629., cum annum 84. ageret.

Sed etiā daremus, quod falsissimum esse constat, Lemosium anno 1624. fato cessisse; nunquid, amabo, statuere certo poterat insulsi criterii homo, Panopliam non ante annum 1623. inchoatam esse, ob id unum, quod sub ejus initium libri aliqui recenseantur, anno 1623. typis editi? Quis nesciat, Auctores lucubrationes quandoque suas, jam pridem elaboratas, ac etiam prælo maturas, sepius recognoscere, novisque plerumque additamentis illustrare, augere, perpolire? Eaque idcirco de causa factum, ut in eo, quod diu ante mortem Opus ediderat Thomas de Lemos, præloque, si semel liceret, dandum destinaverat, quorundam librorum mentionem ingenerat, quæ non diu ante ejus obitum prodire. Solebat quippe Vir studioſissimus, quosquecumque ætate sua vulgaris de Divina gratia libros conquiri, eorumque fatem mentionem elaboratis jamjam lucubrationibus suis inferere, tum adjectis ad marginem notulis, tum aſſutis chartulis: quod & nos propriis, dum ejus autographum legeremus, oculis usurpavimus.

Nugacitatem vero suam prodit magis Epistole Confaricator, dum pugnantes temporis notas ab Auctore Panoplia suo in redum Operi aſſutas ait, (2) ut impostorem demonstret. Quid enim, si in prioribus editi Operis partibus monet Auctor, scribere se anno 1611., in posterioribus vero notat, Opus a se identidem intermissum ob graves sustinendarum disputationum curas, quæ ante id temporis habebantur? Nullam hic profecto pugnam invenisset, si sciret, quod res est; primam sci- licet hujus Operis partem, quæ de erroribus differit, re ipsa postremam omnium ab Auctore elaboratam esse; sed primam idcirco sedem in editis obtinuisse, quod universo præludat Operi, feratque lucem. Num enim impostam forte Scriptoribus legem obtendet Criticus Leodiensis, ut eundem in ſcribendo Operi temporis ordinem fervent, quem in disponendo, typisque dando fervare velint? Id si velit, dignum judicii, dignum peritiae specimen dabit.

Verum quid in nugaci virilitigatore confutando ludimus operam? Compendio conſecta res est; fervatur etiamnum Panoplia Autographum, quo uno tot illæ conſectæ argutia diſplicantur. Ubinam exſtet, inquirit ſeffivus homo. Reſponſum negare fas fuerit, si quid ea parte timendum eſſet: at quo ex tempore Leodiensis Editio venalis Roma proſtat, nihil jam periculi eſſe potest, si palam hic moncamus, ſervari in publico Ordinis Prædicatorum Tabulario. Dubitas, amice? Romam pergas, & videas. Interim, si tibi ſat eſt fides testium, Fontanam legas in Monumentis Domini-

canis

(1) Pag. 52. 54. (2) Pag. 54. 55. 56.

canis ad annum 1629., ubi hoc ipsum obſervare nihil veritus eſt, antequam Ediſio curata eſſet: Quatuor volumina, inquit, de Divina Gratia, alijque materiis ſcripta, in Ordinis Archivio exiſtentia, nondum imprefſa.

At inquires: (1) ergone in hujus Historiæ tractatione in teſtem advoſabitur Thomas de Lemos? De Jefuitis ex adverſa partiſ ſuffragio pronuntiabitur? Aut erit fortasse conceſſum Prædicatoribus privilegium, ut partium ſimil, ac teſtum conditionem ſubire poſſit? Abſit, ut id a nobis piaculi admittatur, quod omni jure vetitum, ſatis novimus: abſit, ut eo privilegio domatos Prædicatores exiſtimemus, quo neminem donari poſſe, certo ſciamus. Sed neque Lemosium adverſus Molinianos appellavimus unquam; ejusve ſuffragium attulimus, ut factum aliquod ſtatuemus, quod aut Jefuitis injurium videri poſſet, aut excitatæ controverſia ſumma petret. Nunquam ille iis in occaſionibus vocatus in teſtem, nuſquam in iis auditus, nuſquam laudatus a nobis eſt, ne contra litigantium juſra peccaremus. In iis duntaxat factis ſtatuendis ſuffragium ejus imploravimus, quæ vel nihil adverſa partiſ præjudicent, vel leviſ admodum momenti reputentur. In una, (quæ certe & injuria parti, & gravis momenti videri poſteſt) referenda, probandaque Valentia catastrophe Lemosium appellavimus. (2) At tantum abſit, ut teſtis personam induerit, ut potius accuſati, a nobis ab injuria vindicandi adverſus æmulatorum audaciam, qui eum calumnia postulant, quaſi eam falsari Augustini labem Adverſario ſuo affixiſſet. Quare Valentia caſum Lemosii teſtimonio nequaquam probavimus eo loci; ſed Lemosii narrationem, ne deinceps calumnia poſtuletur, aliorum teſtium ſuffragio conſirmavimus.

. De commentaria Lemosii palinodia lege lib. iv. cap. 26.

Lemosii fide tuti alicubi Libro 11. adnotavimus, Caffiani Sanctitatem, reclamante Pontifice Maximo, ambitionis a Molinianis elatam fuīſe, quo tempore Romæ maxime concertationes iſte fervent; ſparsaque tunc, ad aſcupandam plebeiculæ venerationem, oſſum particulas: nam & hoc feciſſit ille tomo 1. traſlatu 5. de Erroribus Caffiani cap. 2. Sed abſit, ut a nobis Caffiani sanctitati injuriam importari, idcirco quis autem: quippe qui id eo tantum obſervavimus animo, ut illorum artes ex dīgo monſtraremus, qui Caffiani doctrinæ orthodoxiam ex eisdem ſanctitate commendare fatigabant, ne Moliniana aſſertiones, iſſdem cum Semipelagiana lue ponderibus appenſe, ulli patere censura viderentur. Cæterum de Caffiani sanctitate contentioſis funem cum aliquo ducre, nobis haudquaquam eſt animus. Neque enim uſque parum in Auguſtini, illiusque Discipulorum lectione decocti funus, ut latere nos poſſit, qua pietatis, & religionis opinione, uti fratres, ac sanctos exceperint eos, qui vulgo Semipelagiani in Galliis audiebant. (3) Nec noſ fugit, Joahem Caffianum, Hilarium Arelatensem, (4) & Faſtum Rhēgiensem, Maſſiliæ, Arelate, ac Rhēgi inter Divos, ecleſis aris, adnumerari. Quin & hoc nobis notum, Urbanum V. caput Caffiani, Maſſiliæ in argentea theca incluſum, hac epigraphe ornandum juſſiſſe: Caput S. Caffiani; ejuſdemque memoriam ea in urbe celebrari die 23. Julii, eique precum Officia ſolenni ritu perſolvi. Quia, li- cet de gratiā prædestinatione ad primam gratiam ab Auguſtino procul abire illi; ea tamen ætate temporum verſabuntur, qua neclum veritas hæc in rem definitam abierat, licebatque, tuta fide, in partem alterutram diſputare. Anno quippe demum centesimo ab Auguſtini obitu, ac diu poſt fata ultima, a primis illis Semipelagianæ ſedet Principibus perſoluta, veritas hæc inter fidei capita in Synodus Arauſicanæ, & Valentini relata ſuit. Tum primum lis illa magna, quæ sanctissimos, ac doſiſſimos utrinque viros in Gallia centum, & amplius annis exercuit, ex Sancti Auguſtini ſententiā extremo judicio finita eſt: Semipelagianismus tunc tandem ad tunulum duciſſus, Felice IV., & Boniſacio II. Apostolice Sedi ſigillo lapidem obſignantibus.

Quam in rem ſcīte a Doſiſſimo Jefuita Jacobo Sirmundo adnotatum lego in Notis ad Arauſicanam Synodum II.: Intererat, Concilium iſtud, quod Leonis olim Pape temporibus aſſerebatur, ad hoc poſtius tempora (a. 529.) diſſerit, proper multos doctrina, & pietate preſtantes Viros, qui, ſpatio in terjecto, ſavere in Gallia viſi ſunt Semipelagianis & quorum placita in hac demum Synodo, quam Sedi Apostolica auctoritas comprobavit, penitus exploſa, ac reiecta ſunt. Quibus ſimilia idem Scriptor habet in Notis ad Epifol. 9. lib. 9. Apollinaris Sidonii: Faſtum vero, inquit, & ſi qui tum in Gallia (quod diſſimulari non poſteſt) cum eo ſenſerunt, aliquo modo excusat, ratiō illa videtur, quod ante Synodum II. Arauſicanam, ann. 529. habitam, viixerint; cuius placitis Ecclesia deinceps, tanquam noua doctrina, adverſus Semipelagianorum errores uſa eſt. Hanc ultimam observationem ex Sirmund

No-

(1) Pag. 49. (2) Lib. 3. c. 5. (3) Auguſt. de dono perfe, cap. ult. De Prædef. SS. cap. 20. (4) S. Hilar. Eplſt. ad S. Auguſt.

Notis eliminare, opera pretium duxit Philippus Labbeus, ejus Socius, in Editione posteriori anni 1652. ab ipso procurata. Aliam pariter rejecit ex Notis ad eandem illam Arauficanam Synodum, quam eam ob causam hoc loco excrivere, supervacaneum non erit: Ceterum gravi, ac diuturne contentioni, quæ Sandissimos, & doctissimos utriusque Viros in Gallia centum, & amplius annis exerceuit, finem postea tandem atritum Synodus Arauficana II., quæ totam de gratia, & libero arbitrio controversiam ex S. Augustini sententia composuit. Hæc nimurum postrema verba sunt, quæ Labbeus male habuerunt, quia his agnoscit Sirmundus, ac palam prædicat, ex S. Augustini sententia peperisse totam hanc fidei questionem, ejusque judicium, secundum celeberrimæ Synodi, ac ipsius Apostolice Sedis præscriptum.

Lemosum quod attinet, fatendum, sejne fatis de Cassiani, & Fausti sanctitate ipsum scripsisse, S. Prosperi Aquitani suffragio nixum, qui licet Semipelagianorum magna virtutum merita initio commendasset; (1) vocato tamen ad Superos Augustino, ejusque libris a (2) Cœlestinio Summo Pontifice solemnitate approbatis, nova rerum inducta facie, in eodem, velut hypocrita, titulum acuit, totisque lacertis depugnavit; quod sancto Doctori, posthabito Apostolice Sedis oraculo, refragari pergerent, ejusque gloriolis manibus insultarent. Ac re ipsa quidem Cassianum, Semipelagiani agminis primipilum, ventilandum aggressus Prosper Aquitanus, paucis quidem, sed artis coloribus depingit istud hominum genus, cum quibus manus confereret; illosque suis ipso Praefationis initio (3) immoderatos calumniatores, domesticos malignos; habentes speciem pietatis in studio, ejus circumventi diffidenter in sensu; fallaces calumniatores; hypocritas, qui reverentiam sibi presumptione pepererunt; viros austeri superciliosi, & terribile frontis, infidiosos scurratores, novosque tenaces appellant; eisque satis gratificatum existimat, si sub Operis finem, Ecclesiæ communione potiri illos etiamcum, agnoscat: Quorum tamen, inquit, dum adhuc sunt a fraterna sociitate dissociati, toleranda magis est intentio, quam desperanda corratio; donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum suorum ministros, hac, que per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat. Quibus verbis Massiliensem fidem, pro conditione temporaria, ac pendente, ut ita dixerim, lite, ponit in tuto; sed objectam hypocrisis, & calumnia labem non abstergit. Quin & illos rasa ire, in Epistola ad Rufinum, ignominia causa contemptim appellat.

Eadem illos virga ferit S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30., ubi primos illos Semipelagianæ festæ conditores, non zelo, sed livore in Augustinum accensos affirmat: *Hic itaque prævitati, quæ B. Augustini dedit, non ex veritate, sed ex livore obiectebatur, tali Prosper sermone respondit.*

Nihilo in Cassianum humani exigit S. Isidorus Pelusiota, qui suam illi procacem, & peculanten loquacitatem in faciem illis, data ad ipsum Epistola 309. *Te caducam, inquit, & corruptioni obnoxiam vitam fugisse, atque in Monasticum studium cursum contendisse, audio;* atque interim tamen procacem, ac petulanter linguan habere, ac semere loqui.

Durius longe multo, quod habet Sigebertus in Chronicis, ad annum 407., quod & Vincentius Bellavicensis lib. 19. Speculi Hist. cap. 14., & S. Antoninus 2. part. Hist. tit. 10. cap. 10. §. 2. suis calculis probant; Cassianum scilicet a S. Joanne Chrysostomo, a quo sacræ fuerat initiatus, ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ tandem ejectum, Massiliam transfretasse. Num quis forte id in ejus religionis, ac sanctitatis argumentum accipiat?

Guilielmus Estius in Responsione ad Joannem Deckerum Jesuitam, in Appendicem nostram relata Nuni. XVI. testis est locuples, Ruardum Tapperum, Lovaniensem Doctorem celeberrimum, a quadam Schola collega serio fuisse admonitionem de Fausto, quod non venerabilis, ut ille cum vocabat, sed damnabilis auctor esset; & ea re sibi indicata, vehementer Tapperum obitupuisse, ut ego, inquit Estius, ex illo ipso Collega (Judoco Tiletano, ut putatur) acceperim.

Molanus e Divorum albo Fauustum expunxit, quem S. Isidorus libro de Viris illustribus, cap. 14. profundiæ calliditatis virum appellat. Eudem sacro titulo primum exuit Cardinalis Baronius, donec, Reginensis Ecclesiæ schedis acceptis, antiquum illi honorem restituit: constanter tamen vulpeculam, verisipellem nuncupat in Annalibus. Sed quid tandem? Quorquot Capitula celeberrima, Cœlestinum Romani Pontificis Epistolis ad Galicanos Episcopos datis assuta, ipsi Cœlestinum tribuant, non Prospero, alterius Augustini discipulo, primos illos Semipelagianorum duces a pertinaci hæredi liberare vix possunt, nisi decantatam ab eis palinodiam obtendant; quod liberalis ingenii foret. Cum enim tam dilucide prima salutis initia sis in Capitulis divinae gratiae tribuantur, sancta scilicet co-

(1) Epist. ad S. August. (2) Epist. ad Gall. Epist. (3) Prefat. lib. contra Collat.

gitatio, pium consilium, omnisque bone voluntatis motus (quæ omnia Semipelagiani, post datas ipsas Cœlestini litteras, liberi arbitrii viribus arrogabant) errorem, sua jam ætate ab Apostolica Sede proscriptum, pertinaciter defendisse censer possent; vixque hujuscem litis eliquatio ad Arauficanæ Synodi tempora detrudegetur, ubi primum veritas, per Semipelagianos obsfirmatis animis oppugnata, in fidei dogma transferit: nisi quod sententiam in illos non e Tribunali tulerat Cœlestinus.

Neque tamen hæc admiramus, quasi Cassiani, ac Fausti sanctitatem, in ore famæ volitantem, quamque nos, fusa ad sacras illorum aras pia preicatione, venerati sumus, vocemus in dubium; sed ut Lemosio nemo quisquam virtutem vertat, quod illam, nullo in hanc diem universalis Ecclesiæ judicio acclamatam, minus noverit, & sacros honores Semipelagianis deferri, amaro animo tulerit. Hoc certe scio, a vero illos longius abire, ac duriori animadversioni esse obnoxios, qui, colenda nonnullorum Semipelagianorum sanctitatis obtentu, eorundem doctrinam absolvunt; Cassiani, & Fausti lucubrationes, sacro anathemate a Gelasio in Concilio Romano percussas, herefœs immunes effundunt; Apologias adorant; D. Prosperum, ut eorum famæ decurtagorem, exigit, vertuntque ludibrio. Proh infrunitam audaciam, pessimamque desperatae causæ advocationem! Augia stabulum purgandum aggrediar, si quæ Thomas Pio, Mariana, Guefnajus, Ariaga Jesuitæ in eam rem congreffere spurcioquia, velim in indicem cogere. Notare hic satis sit, Thomæ Pio Societatis Jesu Theologi assertiones numero sex, quæ supremum Hispaniarum Inquisitionis Tribunal censorio stigmae confixit, ex ejus ad quæstionem 23. primæ partis D. Thomæ Commentariis excerptas. (1)

1. Cassianus non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid, quod sit Pelagianum, aut Semipelagianum.

2. Faustus, Reginensis Episcopus, non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid, quod sit Pelagianum, aut Semipelagianum.

3. Initium nostræ salutis spiritualis ex nobis est.

4. Quodammodo expectat Deus voluntatem nostram, ut det suam gratiam, & vocationem ad dona supernaturalia.

5. Deus dat saltem aliquam vocationem fidei intuitu bonorum operum naturalium.

6. Merito videtur Gemmadius, in Catalogo Illustrium Virorum agens de Prospero Aquitano, sic sensisse: Legi librum adversus Opuscula Cassiani, quæ Ecclesia Dei salubria probat, ille infamia nociva.

In eas Assertiones, ut falsas, temerarias, in fide erroneas, & heresis Semipelagiana faunices animadvertisit Sacer Confessus, librumque Scholarum usibus sublatum edidit.

P A R A G R A P H U S D U O D E C I M U S .

De Decreto Innocentii X.

Proscriptis quinque famosis Propositionibus, Decretum edidit Innocentius X. in Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis die 23. Aprilis 1634., quo plurimos libros damnavit, pro tuenda Jansenii causa recens editos, cum aliis nonnullis. Tum ad eisdem Decreti calcem instar appendicis ita addidit: Ceterum, cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quedam asserta Acta manuscripta, & forsitan typis excusa, Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII., & Paulo V. super questione de Auxiliis divinae gratiae, tam sub nomine Francisci Pegnae, olim Rota Romanae Decani, quam F. Thome de Lemos Ordin. Predicatorum, aliorumque Prelatorum, & Theologorum, qui, ut afferitur, predictis interfuerunt Congregationibus, nec non quoddam Autographum, seu exemplar cuiusdam asserta Constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione predicitæ questionis de Auxiliis, ac damnationis sententia, seu sententiæ Ludovici Molinae Societatis Jesu; eadom Sanctitas sua presenti hoc Decreto declarat, ac decernit, predictis assertis Actis tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominicæ, quam Ludovici Molinae, aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, & Autographo, fratre exemplari predictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem addibendam, neque ab alterutra parte, seu a quoconque alio allegari posse, vel debere; sed super questione predicta observanda esse Decreta Pauli V., & Urbani VIII. suorum Predecessorum.

Hoc illud est extrellum vallum, quo se Moliniani recipiunt, ceteris depulsi munimentis: hoc sagittæ linea talum, quod ultimo tandem movent. Mirum, quod ejus occasione scens agat Quæstionum even-

(1) Thom. de Lemos tom. 1. tract. 5. de Error. Coff. cap. 3.

eventilator, iis Innocentii verbis turpiter abusus, (1) nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse, vel debere! Congregationum Acta, quibus tota ntitur Auxiliorum Historia, infida Instrumenta . . . Apocrypha . . . fide indigna . . . Magni Pontificis Decreta inusta . . . spuria . . . incerta . . . Secretario perperam inscripta . . . primigeniis fontibus minime consona, pessim appellat. Nec modo Acta vellicat, verum etiam Dei jura emulatus, intimos cordis nostri finis scrutatur, retegit, ac tantum non inferis damnat: Nos uscio quibus conscientie simulacrum agitari, inquit, ob laudatos quam sepissime Congregationis Commentarios: Decretum Pontificium a nobis violatum, dictitat, data iis Instrumentis integra fide, quis nullam habendam, pronunciavit. Summus Ecclesiae Hierarcha..

Has omnes officias, falsaque Innocentiani Decreti interpretamenta, quibus auritus grex, Romani usus ignarus, illudit, depellit brevis hac adnotatio. Nempe eam Innocentii phrasim, nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse, tritam esse Romanæ Curiae formulam, qua Instrumenta quæque, integra licet, & incorrupta, notari solent vel ob id unum, quod publica fide non consent, sic ut ex fori Romani usu, Decretorum quoruncunque, aut Declarationum exemplis, seu cisis, seu manu exaratis, nulla sit adhibenda fides, nisi Cardinalis Praefecti Chyrographo, sigilloque munita prodeant. Ita fanxit Sacra Cardinalium Congregatione, Concilii Tridentini Interpretum, mandante Urbano VIII: Pontifice Maximo, die 2. Augusti anno 1631, eandem illam formulam usurpans, quam fecutis inde temporibus, Actorum istorum occasione, usurpavit Innocentius. Ex speciali SS. D. N. iussi, mandat Sacra Congregatio, & precipit, hujusmodi Declarationibus, tam impressis, & imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in iudicio, & extra a quocunque adhibendam; sed tantum illis, que in authenticâ forma, solito sigillo, & subscriptione Emin. Cardinalis Praefecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis, pro tempore existentium, munite fuerint. In eundem sensum, eademque pene verba Sacrorum Rituum Congregatio pronunciavit, die 11. Augusti 1632. Cum ad notitiam Sacrae hujus Congregationis pervenerit, quamplures Declarationes, Decreta, seu Decisiones, sub nomine ejusdem Sacrae Congregationis, ab ilius auctoritate impressas, in libris, seu aliis Operibus circumferri, & allegari: ex speciali SS. D. N. iussi mandat, & precipit, hujusmodi Declarationibus, tam impressis, & imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in iudicio, & extra a quoquam adhibendam; sed tantum illis, que in authenticâ forma, solito sigillo, & subscriptione Emin. Cardinalis Praefecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis, pro tempore existentium, munite fuerint.

Quis non videat, idem plane ab Innocentio de Actis in controversiam adductis sancitum, statutumque, quod de Congregationum Instrumentis statuerat Urbanus VIII, quæ Cardinalis Praefecti, ac Secretarii Chyrographo, sigilloque carent? Si ergo, spectatis Innocentiani Decreti verbis, colligere licet, Auxiliorum Acta infida esse instrumenta, apocrypha, fide indigna, Magni Pontificis Decretum inusta, spuria, incerta, Secretario perperam adscripta, primigeniis fontibus minime consona; quidni, spectatis Urbanianî statuti formulis, colligamus, iisdem notis inulta quacunque Congregationis Declarations, seu typis editas, seu manu transcriptas; ex quo Cardinalis Praefecti, ac Secretarii Chyrographo, sigilloque carent? Quo itaque loco habemus Faganos, Barbosas, Jordanos, Antoniellos, Lezanos, Pignatello, ceterosque plane omnes Canonum Interpretes, qui, post vulgatum Urbani statutum, eas Congregationum Declarations in suis ad Jus Canonicum Commentarios transfuderunt; quin etiam & illas, que nusquam ex Juris prescripto vulgate fuerant? Num eos occultis conscientie simulacrum agitari efficiemus; aut certe violentum ab iis Decretum Pontificium obtendemus; quod iis Instrumentis integrum fidem dederint, quis nullam in iudicio, vel extra tribuendam, pronunciavit Ecclesia Catholica Pontifex?

Quis ergo sit laudata appendix sensus, nemo prudens non intelligit. Congregationum Acta a libris damnatis caute fecerit Innocentius. Hæc enim nec proscribit, nec censura notat, nec pro Apocryphis haberi vult; sed pro neutra dissidentium parte laudari posse, duntaxat decernit: quia nempe, Auxiliorum controversia semel in suspenso posita, & missa in aliud tempus ultima sententia promulgatione, fidem in iudicio nullam faciunt, quæcumque in partem alteram definita sunt, ac statuta, nec unquam sententia Pontificis vim obtinebunt, donec ultima illa juris solennitas accepte. Pro nulla igitur parte laudari possunt eo sensu, quasi ob latas ibi censuras causa ultimo definita putanda sit, aut adversa doctrina invidiosi Pelagianismi notis inurenda veniat, aut alteri parti suas etiamnum opiniones tueri non licet: quod sane ne per umbram nobis venit in mentem; modo ea,

qua

(1) Quæb. 2. Cap. 3. & 4.

qua illos Ecclesia Catholica donat interim, indulgentia modeste fruantur, nec vanis (quod interdum facilitare solent) Molina sui triumphis Trophæa excident paulo, quam par est, confidentius.

Verum quis idcirco putet, sublatam iis Actis historiæ fidem, ut, sepolita centuriarum auctoritate, ne facti quidem veritatem testari possint? Si sic est, ubi publica fides, ubi societas, ubi religio? Suntlerit justa de causa Innocentius X. publicam scriptis omnibus auctoritatem, Juris fidem ademerit, donec supra auctoritatē promulgarentur: bene est. At id efficere non potuit, ut quæ Secretiorum commentarii inserta sunt, re ipsa inferta non sint. Id vero nobis sufficit unum, qui de Congregationib; iis non dogmatice, sed historice scribimus; unicuique enim liberum erit Acta consulere, an aliter habeant, quam retulimus. In hanc sententiam Canonum periti Urbani Decreta interpretantur, suamque in laudandis Congregationum Declarationibus, nulquam ex Juris forma promulgatis, religionem absolvunt. Nullam esse fidem adhibendam, intellige ceram, & indubitate, ad minus enim probabilem fidem merentur, (quæ humana historiæ propria est) si a viro fide digno referantur. (1) Suffragant utroque police Casarei Juris Interpretes ad Legem damus 23. Cod. ad legem Corneliani de falsis, & ad legem 2. & hoc igitur omnia 19. Cod. de veteri jure enucleando, ubi Justinianii interdictum, ne quis legem antiquaram laudarer, si accipiunt, ut ad causæ duntaxat decisionem laudari nequeat, tametsi ad historiæ fidem adduci possit, ut nihil antiquitatis penitus ignoretur: Quod ipius Justinianii interpretationem est §. Inst. de Testamentis ordinandis, & in lege unica §. & cum in triplici 2. Cod. de Caducis tollendis

Novit id Serenissimus Princeps de Conty, qui Stephano Dechamps Jesuite, ad hujusmodi Innocentianum Decretum confugienti, ut Scriptum a Clemente VIII. editum exsularet, ita reposuit: (2) Quod alterum caput attinet, a R. P. Reñore nobis objectum, Innocentium scilicet X. ea omnia apocrypha pronuntiassæ, que de Divinorum Auxiliorum controversia typis edita fuerant; bona ejus pace repone, in primis Decretum hæc Generalis duntaxat Inquisitionis auctoritate proditæ, que a Gallis recepta non est; ac propterea nihil illud exemplaribus in Gallia editis obesse posse. Secundo, Autographum, Parisis servatum, ex Decreto minima pei, tandem transumpta typis edita pro apocryphis haberentur; cum nullum Inquisitionis Decretum efficere possit, ut id re vera non scriptor Clemens VIII, quod re ipsa certissime scriptit. Denum Scriptum apocryphum dicere idem profecto non est, ac suppositum declarare; sed publica duntaxat fide minus dignum, minusque authenticum; quod publica auctoritate minime prodierit. An quis it guidem Rome pridentur admodum fieri solit. At non id obest, quominus Scriptum sua interim veritatem fruatur. Quamquam nec illud etiam invidiosum Apocryphi vocabulum usurparit Innocentius X., sed alia longe mitiora, quæ Actorum auctoritatem minus elevent.

Serenissimi Principis judicium, confirmant exempla bene multa. Sic ann. 1657, cum abque Romanæ Curæ licentia typis prolixissent privata Theologorum suffragia, qui primum de Janfensi propositionibus pronuntiaverant; re ad Alexandrum VII. delata, ita die 6. Septembri Decreto sancitum est: Et quia circumferuntur quedam foliis impressa anno 1657, quorum titulus est: Tredecim Theologorum, ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum, suffragia, seu, ut appellant, Vota Sanctorum Pontifici scripto tradita; Eadem Sanctorum sua presenti hoc Decreto illa prohibet; & declarat, ac decernit, iis, tanguam Apocryphis, nullam fidem esse adhibendam, nec a quoquam allegari posse, vel debere. Nec tamen ullus idcirco fuit, qui vel nulla, vel ab his diversa suffragia Pontifici data finixerit, faltem cum prima cause cognitione facta est a die 1. Octobris 1652, ad diem 20. Januarii 1653.

Sic anno 1621, sub Gregorio XV. renovata Pli IV. Bulla, quæ incipit Benedictus Deus, ex Decreto Congregationis Concilii sub die 29. Aprilis, prohibita sunt omnes, & quæcumque Collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii, tum impressæ, tum imprimendæ: quod & eodem anno die 6. Julii ab Indicis Congregationis confirmatum fuit. At quid ita? Nullæ sunt, aut certe possunt esse veræ, ac germanæ hujuscemodi definitionum. Collectiones? Quid, si eas aliquis, ex ipsius Congregationis commentaris petitas, typis ederet? Ideone falso putanda essent? Absit. Hæc itaque Romanæ Curæ Decreta publicam duntaxat, & authenticam in iudicio fidem eripiunt, non humanae historiæ credulitatem.

Scrib. Tom. I.

(1) Lazarus in sum. u. sacr. Congr. Fagna in 1. Dece. de confi. capit. (2) In 2. Resp. ad P. Dechamps. Pour ce que dit le R. P. Reñore, qu' Innocent. X. a déclaré tout ce, qui a été imprimé de la Congregation de Auxiliis Apocryphe: il agréera que je lui dise, que ce n'est qu'un décret de l'Inquisition, dont les François ne reconnaissent point l'autorité; & qu'il ainsi cela ne fait rien contre ces Imprimés, qui ont été publiés en France. Seulement, que quand les Imprimés soient déclarés Apocryphes, l'Original ne l'est pas, qui est gardé à Paris: & qu'il est impossible, qu'un décret de l'Inquisition empêche, que Clement VIII. n'ait écrit ce, qu'il a effectivement écrit. En dernier lieu déclarer une chose Apocryphe ce n'est pas dire, qu'elle est fausse; mais qu'elle n'est pas imprimée avec permission; & cela se fait toujours à Rome, par son police très judicieux: mais cela n'empêche pas la vérité de l'Ecrit.

P R A E F A T I O

Accedit Prospere Fagnani suffragium, observatione dignissimum. Erat, ut notum est, Juris Pontificii consultissimus, utriusque, ut vocant, signature Referendarius, vir ingentium virtutum, atque in Sedem Apostolicam meritorum; qui cum multis annos Sacre Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a secretis fuisse, plurime in suis ad Libros Decretalium Commentariis Decreta, Responsa, Consulta laudavit, ut in publicis Congregationis Actis, ac Tabulis legerat. Vix unam, alteram erudit Operis paginam evolveris, ubi non aliquod hujusc Congregationis Statutum, aut Rescriptum occurrat. Jam quis haec, amabo, fabulis accensenda putet eo vel nomine, quod illorum bene multa secundum publicas juris formulas vulgata non fuerint, Cardinalis Praefecti, & Secretarii subscriptione, sigilloque communia? Effet id profecto lepide festivum, Viro quoque Celeberrimo, qui tot illa ad Actorum, & Tabularum fidem exigit, injurum nimis. Et is tamen, is ipse Fagnanus singulari Praefatiuncula Lectorem initio monuit, nequaquam pro authenticis haberi posse tot illa ab seme tipico laudata Rescripta, nisi Cardinalis Praefecti Chirographo, sigilloque munita prodeant. Quae in his Commentariis, inquit ille in Monito ad Lectorem, *Responsa S. Congregationis Eminentissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum sparsim pro re nata referuntur, quamquam fere omnia exscripta fideliter, dum eidem Congregationi essent a secretis; ea tamen minime habenda pro authenticis, scire debes, quando Emin. Cardinalis Praefecti, & Secretarii subscriptione, signaque carent. Nec aliud mibi consilium, aut voluntas alia, &c.*

Hoc ipsum ab Emin. Cardinale Albizio factitatum observamus in libro *De Incostantia in fide*. Ut enim Romanae Inquisitionis Generalis Affectore diu egerat, infinita propemodum Sacri Senatus iudicia, statuta, re scripta, ex ejusdem publicis Commentariis eruta, pro re nata laudavit, ac saepius etiam ex scriptis; quorum tamen pars maxima nusquam ex juris praescripto vulgata fuit. Quis hic Eminentissimum Virum, ut fabularum venditorem, idcirco traducat? Id ergo certissime statuendum, posse scriptum aliquod publicae authenticae titulo, ac dignitate defraudari, tametsi privata aliunde stet fide, & quavis suppositionis labo purissimum; eaque idcirco de causa Innocentii X. nonnullas Congregationis Auxiliorum scriptiones authenticae titulo exiisse, ne certam & omnimodam in judicio fidem facerent, quod illis publica juris solennitas nondum accesserit: tametsi fabulis accenseri nullatenus possint, sed certam Historiae fidem faciant, omnemque suppositionis suspicionem procul amovent.

Addiderim, pacis quandoque studio prohiberi libros, nullius licet mala doctrina nota dignos: Quis enim aut pro Jansenio, aut pro Patribus Societatis nihil scriptum haec tenus, aut scribendum in posterum arbitretur, quod malefanæ doctrinae notam effugiat? In Indice tamen librorum prohibitorum sub Innocentio XI. pag. 179. pari virga notantur libri omnes, opuscula, theses, alia omnia, tam edita hoc usque, quam imprimenda, tam contra, quam pro Jansenio, & Patribus Societatis. (1)

Quis dixerit, in causa Veneti Interdicti nihil fani coloris aut editum haec tenus, aut edendum in posterum? Et tamen universis lucubrationibus, hoc de argomento adornatis, nigrum theta præfigit idem ille librorum vetitæ lectionis Indiculus; non ut universis scriptoribus, in alterius partis studia venientibus, invidiosam notam inurat; sed ut, pace Pontificem inter, ac Rempublicam tandem inita, odiosæ litis documenta æterno silentio involvantur.

At nihil aque ad præfens institutum facit, quam quod simili prorsus eventu sub Clemente VIII. gestum est. Gravis inter Chalcedonensem Episcopum, & Anglia Regulares controversia emerferat, quam fiduciario Decreto composuit Pontifex maximus. Veruit die 9. Octobris, ne quis instrumenta litis, aliasve hac occasione adornatas lucubrationes typis ederet: quod idem ab Urbano VIII. die 5. Maii 1631. confirmatum est. Non id tamen obscurit, quin typis demum mandarentur. Qua de causa die 19. Martii 1633. sacra Indicis Congregatio libros editos suspendit sollemni Decreto, vetans sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda, ac Summo Pontifici reservata, ne quis illos rufus ederet, aut editos servaret. Verum, ne quis editum perperam acciperet, ut vel idcirco judicata cause merita, vel injuriam Auctoriis irrogatam caufaretur; editi sensum subjunctionis verbis aperuit: *Ne quis autem ex hoc Decreto alias criminandi, vel exprobrandi occasionem aliquam arripiat; eadem Sacra Congregatio expresse declarat, se in præsenti non intendere aliquid de meritis cause statuere, vel ulli Auctori, aut Operi ignominiam aliquam, vel notam male doctrine inferre: sed judicium horum omnium Apostolicæ Sedi in opportunum tempus reservans, nunc præcipit, ne quis adverse partis libros, tra-*

ta-

(1) Idem longe potiori jure dicendum de prohibitione librorum omnium, qui spectant directe, vel indirecte, ad controversiam exertam inter Chalcedonensem Episcopum, & Regulares Anglie.

P R A E F A T I O.

lj

Etas, coramve Autores heresis, vel mala doctrine nota, seu alia quacunque, ante Sedi Apostolicæ definitionem, verbo, vel scripto deinceps afficiat.

Ils attenderint professi vitilitigatores, qui obtenu Innocentiani Decreti Congregationum Actis irrogatam injuriam fabulantur; atque ex ipsa Indicis Congregatione noverint, quis hujuscemodi Decretorum sensus, qua ratio, qua potestas. (1) Certe, si nulla Auctoriis irrogatur injuria, testaque manent Chalcedonensis Causæ merita, tametsi sub excommunicationis pena librorum editio proscripta sit; quanto minus Innocentii Decreto illata Auxiliorum Actis injuria putanda erit, cum & ab omni Censura, & a quibusvis invidiosis notis abstineat? Sed adeo ejusdem Instituti Magister, qui haec illos amice doceat, Michael Tellier in sua Christianorum Apologia, (2) ubi pervulgatum Coronelli Compendium fabulis nequaquam annumerari patitur; eosque calumnias postulat, qui id a se allici factum obiciebant. Porro universa Coronelli Acta eundem post Innocentii Decretum fortuna exitum habent: nulli plus, minuvse derogatum est.

Clamat Quæstionum eventilator, non ipse duntaxat Actorum exempla Innocentii X. Decreto comprehendit, sed ipsum etiam meditati Diplomatici Autographum, hoc est, inquit, (3) archetypum Instrumentum. At temere profus, & incite. Etsi enim Autographi nomine Archetypum Instrumentum intelligatur sæpe numero; non intelligi tamen hoc loco, compertum est, dupli capite. Primo, quod illuc Autographum designetur, quod Romæ, atque alibi cum ceteris Actis circumferebatur. Cum san Romæ, quam alibi circumferantur quedam asserta Acta.... Necon quoddam Autographum, seu exemplar cuiusdam asserta Constitutionis &c. Ecquis porro dicat, archetypum Instrumentum Romæ, atque alibi circumferi? Secundo, quod Autographi vocabulum altero temperaverit Innocentius: Autographum inquit, seu exemplar, quod transumptum usi forensi significat, a primigenio Archetypo plane distinctum. Gregorius IX. cap. 1. de fide instrumentorum.... Si Scripturam authenticam non habemus, ad exemplaria nihil facere possumus: Paulus Jurisconsultus, lege quicunque ff. de fide Instrumentorum.... Quicunque a Fisco convenit, non ex indice, & exemplo alicuius scripture, sed ex authenticis convincentibus est. Ulpianus lege cetera ff. familia exciscuntur.... Hæres Testamenti exemplum dare dobet: tabulas vero authenticas retinere, aut in ade reponere. Unde Plinius Epistola 291. Exemplar testamenti, quamquam mendacum, misi tibi. Autographum igitur intellexit Innocentius non primigenium, sed ex scriptum, quale passim circumferebatur. Quamquam si primigenium, & archetypum intellexisset, nihil in nos statuisse putandus esset, qui ipsa Actorum archetypa Instrumenta a nemine laudari posse profitemur ad motu controversia definitionem; nullamque iisdem juris fidem adhibendam, donec suprema auctoritate promulgentur.

Ludit vero, illuditque Leodium Disputator, seque falso interpretem prodit, dum Acta Congregationum, velut infida instrumenta, ac primigenis fontibus minime consona, ab Innocentio habita reputat, quod nullam iis fidem adhibendam declaraverit: quasi non aliud omnino sit infidum instrumentum, ac primigenio fonti minime consonum; aliud, cui nulla fides habenda venit. Fidem quippe nullam scriptio debitat dicimus, ex quo publicæ fidei notis munita non est, quamquam alias Archetypo syllabatim respondeat. Ecquó vero pacto Acta hac infida, & primigenio fonti minime congruentia pronunciasset Innocentius; cum ne ea quidem vidissent, & cum Autographo contulissent quibus edendi Decreti provincia demandata fuerat; nec satis compertum haberent, num essent typis causa, an manu duntaxat exarata? Circumferuntur quedam asserta Acta miss., & fofstan typis edita.

Verum, etsi nihil eo Innocentii Decreto ad eripiendam Congregationum istarum Actis humanae saltem historiæ fidem extundi posse, nemo nefciat; adeo tamen Molinianis Auctoriis arridet, eoque uno causam suam in tuto positam arbitrantur, ut illud, quavis occasione data, per fas, nefasque imprudenter obtrudant. Imprudentia hujuscem specimen video in nupero Societatis Auctore, qui Archiepiscopo Rhemensi supplicem monitionem dedit, ut illum a latu in nonnullas Molinianas assertiones iudicio revocaret. Laudaverat scilicet Illusterrimus Archipreful ex Thome de Lemos testimonia nonnulla, non ex scriptis ab illo Congregationum istarum Actis, sed ex Operibus, Apostolica Sede annuente, vulgatis, ac typis editis petita: illico servitus Auctor, quasi ridente Minerva, fibique secundo favente Mercurio, Innocentiani Decreti auctoritatem opposuit: Dum vestra Celsitudo, inquit ille, suum illud Pastoralis Decretum edebat, non illi proposito veniebat in mentem Innocentii X. Decretum, anno 1654. promulgatum, ubi de Actis disputationis Auxiliorum sermonem habens, que passim Francisci Pigne Rote Romanae Decani, & Thome de Lemos Ordinis Predicatorum nominibus vulgabantur, decernit Sanctitas sua, nullam esse pretensis iis Actis fidem habendam. Eo vero Pontificio Decreto posito, iste, quæstio adseren-

Serry Tom. I.

g ij dus

(1) Annatus, Henao, Oriago, Perrinus, Decamps &c. Epistola Leodiensis. (2) In Prefatione 3. Editionis

(3) Quæst. 2. Cap. 4.

dus est tesis, qui a Colstitutione Vesta productur? Pape! quam apposite, quam ad Archipræsulis insti-tutum accomodate! Quid enim Innocentii X. Decreto cum Lemosii lucubrationibus typis editis? Sic certe, dum peregrina seculatur Actor, ineptum se blateronem ostendit. Bene tamen omnino est, quod in deprimentis Congregationum istarum Actis tantam Molina vindices operam ponant. Satis ea agen-dia ratione se produc; palamque significant, quam infelicitate sibi in ea doctrina sua eventitatis res cesserint; quorum tanti interest, ut retum inibi gestarum Acta aeterno, si fieri quidem posset, silentio involvantur.

Satis hæc, pro Decreti Innocentiani expositione, Sunt adhuc, qui illud in Gallis receptum né-gent, cum quod Romanæ Inquisitionis nomine prodierit, tum quod juxta prescripta Juris Gallicani formulas vulgarium non sit. Qua de causa in publicis Cleri tabulis inscriptum est: [1] Non hic in du-bium vocata est Apostolice Sedis Autoritas in libris configendis . . . verum exsuffiatum est, iijiusmodi Decreta nec in Gallis recipi, nec executioni demandari posse, nisi ab ipsa Sanctitate sua ferantur, debita-que forma exhibeantur, que fidem publicam faciat . . . Ac propterea non esse Decretum hoc inter cetera Cleri Gallicani documenta referendum; quod probata Juris forma non existet.

Ceterum hujus Historie nostra fidem non ex solis Actis mss. reperimus. Multa ex aliis documen-tis, Scriptoribusque hausimus; multa etiam communi fama constat. Hec vero omnia ob id unum negare velle, quia Congregationum Acta vulgare vetitum est, perinde foret, ac Romanam a Regio, & Romulo fundatam insiciari, si historia omnes, quibus id scriptum est, perirent, aut decreto pro-hibicerentur. Nulla enim lex Principum jussit unquam, aut passa est, hanc fidem communem, & tra-ditionem scripto receptam deleri, atque damnari; alias tyrrannis esset, non legitima potestas, qua jus in memoriam, aut fidem publicam sibi vindicaret. Neque ea mens esse potuit Pontificis Maximi, ut hoc Decreto deleret, qua recepta sunt, & conservata non Actorum duntaxat fide, sed tot aliunde testium, qui de Auxiliorum Controversia multa vulgarunt. Si qui vero importunius objicant, indi-cti faltem silentii leges a nobis hujuscemodi argumenti tractatione violari, priores potius violatores incu-sent, qui nedum silentii leges, sed & publice fidei jura, vulgatis fabulis, concularunt: nosque justa defensionis titulo, naturali lege asserto, & liberanda veritatis studio in hanc aleam vocatos intelligant, ut vulgatas ante dies aliquot in nonnullis Gallia Provinciis fabulas confutemus. Nec grave se-riant, hoc idem a nobis imprætentiarum responderi, quod ipsimet primi in sui defensionem usurparunt: Inhibita fuerunt de hac materia scriptiones, & libri; sed eas prohibitions aliqui magno Ecclesia-damno violarunt, atque, ut confutari possent, Catholicos, ut idem facerent, pene polentes coegerunt. [2]

Si quis Historiam hanc meam denuo impugnare velit, per me licet. Meminerit tamen quisquis id attentabit, ex probatis documentis, ac ifarum præterim Congregationum tabulis mœcum agendum es-se. Si secus erigit, ventis illum, ac fabulis pasci sinam, sed responsionis honore non dignabor, ne Sapientis oraculo repugnare videar; Ne respondas scuto iusta stultitia tua. Stultitia quippe genus esse puto, velle de rebus historicis aliter, quam ex illarum documentis pronuntiare, ac definire.

Sed antequam magnum illud Historie Congregationum pelagus ingrediamur, juvat paucis attingere insignem controversiam, cuius argumentum Operis hujus nostri materia affine est, & cognatum; ta-metsi ullam in ea partem habuisse Molinae socios, posteritati non sit traditum.

P A R A G R A P H U S D E C I M U S T E R T I U S .

Prima Controversiarum Prolusio. Grimanus Patriarcha Aquileiensis, Augustiniane ac Thomistica doctrine vindex, diu a malopolis appetitus, Tridentine Synodi judicio tan-dem absolvitur.

Finitis Sacrosanctæ Tridentine Synodi sessionibus, quibus Catholica fides de Gratia, & Libero Arbitrio adversus Calvinistas, & Lutheranos asserta est; prima in Augustini doctrinam, Thomisticam præterim in Scholis propugnari solitam, tentata velitatio fuit anno 1549., unde prima Con-troversiarum istarum, & adornanda Historia nostra plorudia peti possunt.

Patriarchatum Aquileiensem ab annis circiter quatuor occupabat Joannes Grimanus, Patrius Veneti-

(1) In Relatione deliberationum Cleri Gallicani super Constitutione Innocentii X. pag. 31. On n'y mit point en doute la puissance des S. Siege touchant la Confuse des livres . . . Mais on estima, que les Decrets de cette nature pour être reçus, & executés en France, outre qu'ils doivent être expédiés par la Sainteté, doivent aussi être présentés en bonne & deux forme, qui puisse faire foi . . . Et qu'ainsi ce Decret ne pouvoit être inseré dans le Prêches verbal, d'autant qu'il n'auroit pas en forme.

(2) Philip. Briez ad annum 1606.

tus, Vir ingenium virtutum, antiquitatis diligens investigator, litterarum amans, & litteratorum Mœcenas beneficentissimus, ex inclita Grimanorum profapia originem dicens, que tot Aquileja Patriarchs, tot Ecclesiae Romane Purpuratos Principes, tot Reipublicæ Venetae Serenissimos Duces de-dit. (1) Veneris agebat ille anno 1549., cum ab suo Vicario Generali Utinensi litteras accepit, quibus significabat, Fratrem Leonardum Utinensem (2) Ordinis Predicatorum nonnullas inter concio-nandum propositiones de Divina Prædestinatione protulisse, qua plebem, totumque consilium non mediocriter offendissent. De duabus præsertim scandalum ortum inquietabat: Prima: Prædestinatus a Deo nullo modo dannari potest; quia quantumvis in peccata labatur, Deus eum ita eripit, quod illum fa-lutem tandem conquisi necesse sit. Altera: Electio, ac Prædestinatione ita sunt necessarie, ut in voluntate, & arbitrio nostro neque salus, neque damnatio posita sit.

Re, quantum ex temporis necessitate licuit, mature disculta, rescriptis Patriarcha Aquilejenis pro-lixim fatis Epistolam (3) die 17. Aprilis, qua Predicatoris, in Heresies suspicionem vocati, partes suscipiens, abstrusiora Divina Prædestinationis arcana fusius exposuit; quod id sedans motibus, & erudienda plebi necessarium existimat. Tractatum etiam hoc de arguento paulo explicatiorem elabo-ravit post menes aliquot, quo doctrinam, sua in Epistola contentam, cumulatus exponeret, varia-que Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum testimoniis confirmaret. Nemo fuit, qui per annos cir-citer duodecim adversus Epistolam, ejusve Tractatum mussitarit; tametsi per universum Patriarchatum, instar Documenti Pastoralis, utraque licubratio vulgata esset. Cœpit anno duntaxat 1560. exci-tari tempestas ab invidis, corruptisque tenebrionibus, quos sua illi virtus, infrafusque animi vigor in regenda plebe concitatabant. Cum enim, graftante tunc in Germania heresi Lutherana, & late fi-nitima quæqua loca depascente, servando pecori studiosus incumbet, & ad severitatem pro restituenda disciplina Ecclesiastica pronior foret, nonnullorum e Clero invidiam subiit, quorum castigandi, ac perpolendi obsoletis moribus studium impenderat. Opportunum ulciscendi tempus arripuer-privi homines, statim atque Pius IV. Pontificatum auspiciatus, sacrum Cardinalem Collegium viris pietate, religione, ac rerum usu insignibus, qui laboranti Ecclesiae turbulentissimis temporibus opem ferrent, augendum ratus, Patriarcham meritissimum adlegere meditabatur. Confepulit Epistolam, ac pene vetustate temporis exsem, e cineribus dolo male excitata, ad sacrum Romanæ Inquisitionis Tribunal detulit, tanquam qua Lutheranos, & Calvinianos de Divina Prædestinatione errores com-placteretur, ut eo objecto probro Patriarcham denigrarent, Pontificemque a conferenda Purpura di-moverent.

Versabatur ille tunc Romæ, dum hæc in eum tempestas levit: pro viribus admitti cœpit, ut de-pulsis objecta criminationis nebulis, religionem suam, ac fidem in aperto poseret. Ad Pontificis pe-des vocatus, Epistola sua doctrinam profluentibus ubertim lacrymis exposuit, editumque a se sub idem pene tempus Tractatum obtulit, in quo quid de Prædestinatione sentire, distinctius exposuerat, omnesque tum hoc de arguento, tum de aliis quibuscumque, sensus suos Apostolica Sedis iudicio subjecerat. Fluctuare ad hæc aliquantulum cœpit optimus Pontifex, qui Patriarcham quidem dignitate auctor vellet, ut Serenissima Reipublicæ votis, ejusque meritis responderet: at virum, de heresi nuper accusatum, sacris infu-bis indutus, pudor erat. Sacrae Inquisitionis confessum in Consistorii perygilio festinante indixit, ut præfens ipse Patriarcha Epistolam, in ius vocatam, fidem suam exponeret. Dixit ergo, imparatus licet, atque ex tempore, de variis Epistola sua propositionibus in suspicionem adductis: sed fidem suam non ita in aperto posuit, ut omnem prorsus nebulam depelleret. Quare, illo posthabito, desti-natos viros Purpura induit Pius IV. die 26. Februarii 1561., quos inter, ne invisam sibi Reipubli-cam faceret, quæ pro Grimani purpura ardentiis supplicaverat, duos adlegit Patrios Venetos, Ber-nardum Navagerium ex inclito Sapientum Ordine, & Antonium Amulium apud Sedem Apostolicam Oratorem; spoudisque, altiori se Grimani fortuna provisurum, cum primum, cliquata causa, o-mnem fidei suæ offusam nebulam depulisset.

Rem paulo aliter referunt Scriptores Veneti. Joannem Grimanum re ipsa ab Summo Pontifice Car-dinali creatum, ajunt, eo tamen tempore declarandum, quo iudicata lite, fidem suam plene purgaf-set. Quin etiam Joannem Formetum Romanum ab Senatu Veneto legatum addunt, qui ob delatum Grimanum, & Navagerio purpura grati animi sensum exsolvaret: nihilque interim de Amulio nova digni-

(1) Ex Ughellio in Italia sac. And. Mauroc. in Hist. Venet. Tib. Deciano resp. 9. Pallau. in Hist. Conc. Trident.

(2) Is distinguendus est ab altero Leonardo Utinensi, antiquiore Dominicano, cognomine, & concave, qui Con-cilio Basiliensi Fenariam translatu interfuit sub Eugenio IV.

(3) Hec Epistola, exterraque hujus controversie Instrumenta habentur in Appendix, num. I.

dignitate aucto significaret, ob perpetratum ab eo in ea fuscipienda aduersus patrias leges facinus ingens. Audi ea de n. Andream Maurocenum, Venerum Senatorem, qui ceteris fusius, accuratus, & elegantius de rebus Venetis scriptis. (1) Ex Veneta nobilitate tres Cardinales allegit, Joannem Patriarcham Aquilejensem [a quo pronuntiando ob ei infiliata malevolis calunniam absimuit] Bernardum Navagerium, qui tunc precipuum in Republica Sepeitio Consilii Magistratum gerebat, M. Antonium Amulium Legatum. Is, quod aduersus leges delatae dignitatem accepisset, magnam apud Senatum, Civitatemque universam iruidiam subiit Joannes Formetus iterum citato itinere Romanum contendit, qui de Grimano, atque Navagerio summa dignitate ornatis ingentes Senatus nomine Pontifici gratias ageret. Quod ad Amulum attineret, Pii voluntati repugnare se nolle: ceterum perperam Legatum fecisse, qui Patria legum oblitus, ab officio recesserit. Adiectum, ne illum inviceret, neve alloqueretur, neve quidquam de publicis negotiis communicaret. Quid plura? Tanta certa de delata (ut ajeant, sub conditione purganda fidei) Grimano purpura Venetorum opinio, ut Tiberius Decianus, Marcus Mantua, & Hieronymus Torniellus, Juris Pontificii, ac Cesarei in Academia Patavina Professores, sententiam scripto rogati quid juris, confidentissime pronuntiariunt, Joannem Grimananum, nova licet inauguratione non accedente, pro sancta Romana Ecclesia Cardinali habendum omnino, ex quo fidem suam dato Apologetico scripto purgasset. (2) Verum fuerit ita, nec ne, definire nostrum non est; penes Auctores fides esto.

Cafum hunc, qualiscumque ille fuerit, magno animo tulit Joannes Grimanus, Romæ substitut aliquamdiu, causamque suam judicio maturavit. Epistola sua doctrinam scripto defendit mensie Augusto, sententiamque ex Pontificio Oraculo ferri petuit: at suprema Inquisitionis Tribunalis commissa res est. De septem Propositionibus Questio fuit, ex variis Epistole locis compendio deductis,

Prima Propositione: *Predestinatio a solo Deo est.*

Secunda: *Predestinatio duntaxat pendet a liberis Dei promissionibus.*

Tertia: *Predestinatus damnavi non posse; nec reprobos salvare.*

Quarta: *Reprobos nunquam Deus intuetur oculis misericordie sue.*

Quinta: *Diabolus prevalere non potest contra determinatum numerum electorum.*

Sexta: *In salutis negotio totum Deo tribuendum est.*

Septima: *In reprobis nibil valer liberum arbitrium ad salutem obtinendam.*

Ea de re Congregatio haberi cepit die 11. Decembri 1561. Ex objectis Propositionibus tres unanimi quidem suffragio, quatuor pro majori duntaxat votorum parte probata sunt, nonnullis scilicet Consultoribus erroris fulpicionem opponentibus. Hos inter extitissi fertur Felix Perettus Montaltus, qui postmodum sub Sixti V. nomine Pontificatum obtinuit; cuius etiam suffragium censorum, ea occasione datum, in publicis Generalis Inquisitionis tabulis legitur.

Eo se judicio absolutum Grimanus existinabat, quod ita Judiciorum forma postulare videretur. Verum fecit amulorum auctoritas, aut etiam [quod astimare primum est] conditio temporum, quæ vel minima Calviniani erroris suspicionem in Ecclesia Princeps pati nollet, ut causam maturiori examine limari voluerit Pius IV. Sultinuit itaque Grimanus mensis aliquot, candidorem Romæ foliæ brevi oriturum sperans: causam, conjunctis cum Oratore Veneto supplicationibus, eliquari petuit multas admodum vicibus; donec tadio solitus, quod rem suam plus nimio procrastinari cerneret, Roma secessit Neapolim versus, animum magnis, longisque curis defatigatum levaturus: quanquam Roma per multa millaria jam absens, accepto nuntio, quo ab Augustissimo Senatu vocabatur, viam, quæ Loretum dicit, arripiens, citatis equis Venetas contenderit. Sui tamen, quantum luctu, officii memor fuit: Oratorem litteris rogavit, ut inopinati itineris rationes Pontifici significaret quas etiam (ut ex Rescripto didicit) benignissimus Pater ratas habuit.

Fuga instar ab amulis discessus est habitus; quasi cause meritis diffusus Grimanus maturiori examini se negasset. Fuere, qui illum ea mente aufugisse dicenter, ut causam judicio Pontificio eriperet, & ad synodus Tridentinam deserret, quæ magno tunc Ecclesia emolumento celebrabatur. Quare Legatos suos confessum litteris monuit Pius IV., (3) ne Grimani causam, coram Romana Inquisitione, ac ipsa etiam Apostolica Sede pendentem, acciperent, eidemque significanter, non Tridenti comparandum, sed Romæ, ubi item in integro, si Reus mallet, Consistorio brevi dirimeret. Non tis ille hortamentis eguit; qui licet causam suam ab ecumenica Synodo cognosci maluisset, voluntatem, hortante Senatu Veneto, deposuerat, ne relucentem Pontificem offendere.

Grimanum tamen denuo Romæ sisti, Senatus noluit, quod Cardinalium quorundam Inquisitorum

Gene-

(1) And. Maurocen. lib. 8. hist. Venet. (2) Vide apud Decianum Resp. 8. (3) Die 18. Mart. & 11. Junii 1562.

Generalium aversum ab illo animum exstimate: sed, qua valuit apud Pontificem, gratia petiit, ut causam ipsemet Concilio committeret; Apostolica Sedis auctoritatem nequam imminutum, a lafum iri arbitratus, si causam ab se cognitam, ipso quidem volente, atque mandante, Synodus absolveret. Pronus quidem erat ad assensum Pontificis animus: at repugnante, ut ferebatur, Inquisitorum Consilio, diu haesit, donec, sedatis animis, instantis Reipublica votis omnino respondit. Causa instrumenta Cardinalibus Morono, ac Navagerio, quos novos Tridentum Legatos mittebat, tradi justit; quibus, uti & Reipublica Oratori, significavit; assentiri se perlubenter, atque etiam omnino velle, ut causam universam Synodus cognosceret. Quapropter ex Pontificis nutu Tridentum contendit Joannes Grimani mensie Junio 1563. Magno, viginti circiter Pralatorum comitatu cinctus Legatos adiit, que res nonnullis stomacho fuit. Judicium festinari rogarunt Reipublica Oratores; at nonnulla mora preter expectationem adiecta est; quanquam enim Pontificis assensum Navagerii, ac Moroni Cardinalium fide noſſent Tridentini Parres, operi tamen manu admovere detrectarunt, donec, missa Romam Cursore, Pontificis voluntatem proprio Rescripto, atque etiam forma Brevis testatam haberent. Rescriptum non sine sensu Pius IV. die 1. Julii privata Epistola, tum subinde die 3. forma Brevis, nihil ultra Navagerii, ac Moroni fidem pro internecendo Sanctitatis sue voluntate desiderari debuisse: assentiri se perlubenter, atque etiam omnino velle, ut causa Patriarche Aquilejensis Synodi Judicio finiretur: optionem demum Venetis Oratoribus dari oportere, num causam Patronum omnium suffragiis committi vellent; an delegandorum ab universo cœtu Deputatorum votis: quanquam ipse hoc ultimum probaret magis, modo periores omnium nationum Theologi (Venetis, aliisque, qui causam Romæ judicassent, duntaxat exceptis) affumerentur.

Hæc ultima, conspirantibus universis, judicij forma servata est. Adeſti die 20. Julii ab universa Synodo Ecclesiastici in primis omnium nationum Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, altioris famæ Theologi. Itali, Hispani, Galli, Germani, Belge, omnes numero viginti quinque: (1) quibus, instante Grimano ipso, ac Venetiis Oratoribus, duo Cardinales adiecti sunt. Totius ecumenicae Synodi nomine, Grimani Epistolam hærefeos insimulatam, ejusdemque scripta Apologetica, quibus objectas erroris accusations ante diluerat, per dies viginti quatuor privatim examinarunt, ac cum aliis etiam ultra deputatos Theologis contulere. Post private cujusque studia, publicæ omnium Congregationi indicta dies est decima tercia Augusti; ubi, collatis per horas sex suffragiis universis, concordi, unanimique consilio, ne vel uno quidem ex Deputatis omnibus dissentiente, in hanc sententiam item fuit: quam Cardinalis Pallavicini verbis referre malim, quam meis, in exemplorum accusatorum deducet sempiternum. (2) Unanimemente convenero, che in certa lettera, scritta molte anni prima dal Patriarcha al suo Vicario d'Udine, intorno alle Propositiones dette da un Predicatore nella materia della Predestinatione; la qual lettera era il fondamento dell'accusa; non fosse parola meritevole di Censura: nè pur tale, che non si trovasse o in Sant' Agostino, o in San Prophero, o in San Bernardo, o in San Tommaso, e similianti Dottori: e così ancora esser paruto a tutti i Teologi, con cui essi ne avevano conferito. Quæ verba ita ad amissim reddas Latino Idiomate: In hanc sententiam uno animo conspirarunt, in certa quadam Epistola, ante multis annos a Patriarcha ad Vicarium suum Utinensem data, circa Propositiones a Concionatore quodam in materia Predestinationis pronuntiatas, ne verbum quidem esse Censura dignum, aut quod vel in S. Augustino, vel in S. Prophero, vel in S. Bernardo, vel in S. Thoma, aliisque consimilibus Doctoribus non legatur. Idemque etiam vixit esse Theologis omnibus, cum quibus ea de re contulissent.

Deputatorum Judicium confessim Senatu suo, missa curfore, significarunt Veneti Oratores; Legati vero, Pontifici Maximo. Die 18. Septembri pronuntiati Judicij Instrumentum in publicas Tabulas relatum est in hæc verba: Domini nostri Jesu Christi Nomine invocato, solum Deum pro oculis habentes, & de aliorum in Theologian peritorum consilio, & assensu, judicamus, attestamus, & pronuntiamus, predictas litteras predicti Reverendissimi Domini Joannis Grimani, Patriarche Aquilejensis, cum Apologia junctas, non esse hereticas, seu de hereſi suspectas, neque sic declaratas esse scandalosas; non tamen divulgas propter nonnulla difficultas, minus exalte in eis tractata, & explicata. Ita dicimus, declaramus, pronuntiamus, sententiam omnem meliori modo.

De Grimani Orthodoxy in Concilio Tridentino probata, de reportato de tot amulis triumpho, deque acceptis hac occasione gratulatoriis Epistolis, hæc in Annales Venetos retulit Andreas Maurocenus lib. 8. Neque pretermittendum est, Joannem Grimananum Patriarcham Aquilejensem, pravorum bonum, quod minus Catholice in Epistola quadam de Predestinatione scripsisset, calumnii appetitum, sum-

(1) Viginti quatuor tantum reconsiliuntur in Actis. (2) Lib. 22. Hist. Conc. Trid. Cap. 3. nu. 10.